

Aug. civ. 3,30

Qua igitur fronte

quo corde,

qua inprudencia

qua insipientia

vel potius amentia

illa diis suis non inputant,

et haec nostro inputant Christo?

Crudelia bella civilia, omnibus bellis hostilibus --- auctoribus etiam eorum fatentibus --- amariora,

quibus illa res publica nec adflicta, sed omnino perdita iudicata est, longe ante adventum Christi

exorta sunt, et sceleratarum concatenatione causarum

a bello Mariano atque Sullano ad bella Sertorii et Catilinae

quorum a Sulla fuerat ille proscriptus, ille nutritus,

inde ad Lepidi et Catuli bellum

quorum alter gesta Sullana rescindere, alter defendere cupiebat,

inde ad Pompei et Caesaris

quorum Pompeius sectator Sullae fuerat eiusque potentiam vel aequauerat vel iam etiam superaverat;

----- Caesar autem Pompei potentiam non ferebat, sed quia non habebat, quam tamen illo victo interfectoque transcendit, -----

hinc ad alium Caesarem, qui post Augustus appellatus est, pervenerunt, quo imperante natus est Christus.

Nam et ipse Augustus cum multis gessit bella civilia, et in eis etiam multi clarissimi viri perierunt, inter quos et Cicero, disertus ille artifex regendae rei publicae.

Pompei quippe victorem Gaium Caesarem, qui victoriam civilem clementer exercuit suisque adversariis vitam dignitatemque donavit, tamquam regni adpetitorem quorundam nobilium coniuratio senatorum velut pro rei publicae libertate in ipsa curia trucidavit.

Huius deinde potentiam multum moribus dispar vitiisque omnibus inquinatus atque corruptus adfectare videbatur Antonius, cui vehementer pro eadem illa velut patriae libertate Cicero resistebat.

Tunc emerſerat **mirabilis indolis aduſcens** ille alius Caesar, illius Gai Caesaris filius adoptivus, qui,
ut dixi, poſtea eſt appellatus Augustus.

Huic aduſcenti Caesari,

ut eius potentia contra Antonium nutriretur,

Cicero favebat,

sperans

eum depulſa et oppreſſa Antonii dominatione inſtauraturum rei publicae libertatem,
uſque adeo **caecus atque improvidus futurorum**,

ut ille ipſe iuvenis,

cuius dignitatem ac poſtatem fovebat,

et eundem Ciceronem occidendum Antonio quadam quaſi concordiae pactione

permitteret

et ipſam **libertatem rei publicae**,

pro qua **multum ille clamaverat**,

dicioni propriae ſubiugaret.